







600011220C



DE

ANNO QUO

PAULUS APOSTOLUS

AD

SACRA CHRISTIANA CONVERSUS

EST

SCRIPSIT

CAROL. GUSTAV. KÜCHLERUS

IN ACAD. LIPS. PHILOS. D. ET PROF. EXTRAORD. THEOL. BACC. AD AED. D. PAULI CONCIONAT. MATUT. SCHOLAE NICOL. COLL. QUART.



LIPSIAE

APUD C. H. F. HARTMANNUM.

1828.

VIRIS

SUMME REVERENDIS

CLARISSIMIS AMPLISSIMIS DOCTISSIMIS

AMICIS CONIUNCTISSIMIS

ERN. FRIDER. BAEUMLERO

PHILOS. D. AA. LL. M. DEHLITIENSIUM ET LOESAVIENSIUM PASTORI MERITISSIMO

DESIGNATO DIOECESEOS LEUCOPETRENSIS EPHORO

ET

CAR. GOTTHOLD. ERDM. HOCHMUTHIO

PHILOS. D. AA. LL. M. AD AEDEM LIPS. D. PETRI CATECHETAE

DESIGNATO TAUTENHAYNENSIUM ET EBERSBACENSIUM PASTORI

MUNERA GRAVISSIMA PROPEDIEM ADEUNDA

EX ANIMO GRATULATURUS

D. D. D.

AUCTOR.

imbuti erant, qui epistolas Pauli accipiebant, et de vita doctoris sui, etiamsi nondum edocti fuissent, poterant tamen ab iis, qui epistolas attulerant, certiores fieri. Nihilominus e rectiore earum rerum, quae obscurius modo significata sunt, cognitione rectior singulorum locorum interpretatio pendet, et ipsius maxime Pauli vitam accuratius cognoscere debet, quicunque eius epistolas recte intelligere velit. Quamobrem nunquam non a viris doctis de rebus Pauli hoc potissimum consilio quaesitum est, ut vel universis eius epistolis, vel singulis earum partibus lucis aliquid afferretur. Et recentioribus quidem temporibus quamquam pauciores exstitere, qui Hermanni Witsii et Iohannis Pearsonii exemplum secuti in omnem vitae Paulinae decursum et rerum ab eo gestarum ordinem inquirerent *), plures tamen de singulis rebus ad vitam Pauli spectantibus copiosius exposuerunt, et epistolarum editores, et librorum isagogicorum auctores, quorum quisque pro consilii sui ratione plura vel pauciora in hanc rem attulit. Sed magnis dif-

*) Alios vitae Paulinae scriptores antiquiores laudavit Pritius in Introd. in Lectionem N. T., quam edidit Hofmann. Lips. 1737. p. 238.

ficultatibus eiusmodi quaestiones impeditas esse, si non ex iis intelligeretur, quae de tenuitate vestigiorum hac in re sequendorum dicta sunt, pateret certe e varietate et diversitate sententiarum, quas viri docti protulerunt. Namque tantopere hi inter se dissentiunt, ut vix duos invenias, qui eadem statuant, id quod triumvirorum, qui nunc maxime in censum veniunt, Hugii, Bertholdti et De Wettii, exemplo luculenter comprobatum est.

Summa autem virorum doctorum discrepantia in ea cernitur quaestione, quae est de chronologia vitae Paulinae, maxime quidem necessaria illa ad internum etiam rerum a Paulo gestarum nexum perspiciendum, sed tam dubia et implicita, ut vix unquam ab omni parte ad liquidum perduci queat. Quid quod ipse ille annus, a quo inde computetur et ad quem omnis vitae Paulinae chronologia revocetur, annus, quo Paulus ad sacra christiana conversus est, parum constat, ita ut eorum annorum, qui ulla probabilitatis specie huc referri possint, nullus fere sit, quo non eum conversum esse ab hoc illove existimatum fuerit. Itaque quum nuper de externa, quam dicere liceat, vita Pauli in academia publice docere instituissem, non

potui non denuo ut in reliquas chronologicas eius rationes, ita in id potissimum tempus inquirere, a quo omnis computatio initium haberet. Atque bene gnarus, quantum periculi sit, ne, si quis plures eosque dissentientes itineris faciundi duces et comites sibi adiunxerit, huc illuc rapiatur et a recto adeo tramite avertatur, tutissimum fore ratus, probatissimi ducis vestigia sequi, sic rem meam peregi, ut sepositis aliquamdiu omnibus virorum doctorum commentariis solos Novi Testamenti libros, Acta Apostolorum puta et Epistolas Pauli, diligentius consulerem tentaturus, quid illi, qui alios alia docuissent, me quidem docerent. Ab horum enim auctoritate hanc quaestionem maxime repetendam esse, quisque concedet, qui novit, quam parum limpidi sint reliqui fontes, e quibus initiorum rei christianae cognitio hauriri possit. Nec sine fructu hanc rationem iniisse mihi visus sum, quod sic demum legem certam ac normam nactus eram, ex qua virorum doctorum sententias, ne dicam opiniones, examinarem, et quo intervallo a librorum sacrorum testimoniis distarent, iudicarem. Multos enim in tanta rei ambiguitate, cui alia ratione subveniri non posse videretur,

audacissimis coniecturis indulsisse, aliosque ad nova coniiciendi pericula et certamina quasi provocasse, constat inter omnes huius rei peritos. Talis igitur haec quaestio est, quae e coniecturarum mole potius expedienda et ad simpliciorem disciplinam revocanda sit.

Quamobrem non vereor, ne, qui me rectam studiorum rationem secutum putaverint, aegre ferant, quod fructuum, quos ex ea percepi, quasi specimen aliquod exhibuerim, ac spero, mihi quoque eandem, quam aliis, veniam dari, ut in rebus ambiguis, in quibus alii in alias partes abeunt, significem, quid mihi videatur quamvis nihil novi plane et inauditi prolaturo. Neque is sum, qui ita mihi ipsi confidam, ut non audire cupiam, quid sapientiores de opera a me praestita sentiant, quorum quidem iudicia eo magis expeto, quod iis in continuandis his studiis egregie me adiutum iri video. Est enim animus, iuventuti literarum theologicarum studiosae ita propediem consulere, ut omnem vitam Pauli libris sacris praeeuntibus ordine certo enarrem, atque paragraphis summam rerum quam brevissime complectentibus adnotationes criticas atque historicas subii-

ciam, quo quidem libello ad epistolas Pauli legendas recte instituatur. Iudicent igitur viri docti, num operae pretium facturus sit, qui vitam Pauli h. e. eius fata praecipue et res gestas continua oratione ita persequatur, ut rectius et facilius intelligatur, qualia singula fuerint et quo nexu atque ordine sese exceperint, et num hoc historicae et exegeticae disputationis specimen tale sit, quod rectae harum rerum tractationis utilisque operae spem faciat. Iam vero ad utrumque paratus, ad veriora iudicia in usum meum conferenda, iniquiora vero tam patienti animo toleranda, ut prorsus hominum nostrorum more abstineam, qui ephemerides literarias defensionibus et altercationibus suis complent, ad ipsam rem nunc aggrediar, paucis de anno, quo Paulus ad sacra christiana conversus sit, commentaturus. Hunc autem ordinem et modum servabo, ut historiae apostolicae et epistolarum Paulinarum vestigia pedetentim persequens virorum doctorum sententias non plane praetermittam.

Primum igitur constat, annum, quo Paulus ad sacra christiana transierit, neque ullo librorum sacrorum loco expressis ver-

bis indicatum, neque ab ullo apostolicae aetatis scriptore fide digno, qui nobis quidem innotuerit, ita definitum esse, ut nulla amplius dubitatio et controversia relicta sit. Sed exstant tamen in commentariis Lucae de rebus gestis apostolorum ipsisque Pauli epistolis modo obscuriora modo luculentiora indicia temporis, in quod alia vitae Paulinae eventa inciderunt, atque tentandum certe est, annon, quod expressis verbis relatum non legimus, variorum locorum inter se comparatione et vel levissimorum indiciorum ope enucleare possimus. Huc accedit, quod in historia sacra aliquoties historiae iudaicae et romanae ratio habetur atque spes est, fore, ut, si de tempore rerum inter Iudaeos et Romanos gestarum satis constiterit, probabiliter certe tempus definiri possit, quo quae ad Paulum spectant acciderint. Possunt autem haec indicia aut in rebus conversionem Pauli praegressis, aut in ipsa de eius conversione narratione, aut in rebus conversionem subsecutis quaeri, ita, ut a quocunque vitae Paulinae evento, cuius tempus aliquanto certius est, computantes reliquorum eventorum ipsiusque conversionis tempus coniiciamus. Quae quidem

nunc deinceps videamus, aeram vulgarem Dionysii secuti licet et ipsam a plerisque reprobatam, quum, quae secundum hanc recte et ita constituta sunt, ut internis atque externis rationibus probabilibus nitantur, facile ad aliam quamcunque rectiorem computari possint.

Ubi autem primum Paulus a Luca Act. 7, 58. commemoratur, ibi iuvenis caedi Stephani interfuisse legitur. Id vero eiusmodi esse, ut per se parum lucis afferat, quisque intelligit reputans, et notionem iuvenis maxime ambiguam esse, nec certo constare, quando haec caedes facta sit. Neque vero hic locus plane praetereundus esse videtur, quin quaeratur, quid ex eo cum aliis comparato aliorumque scriptorum testimoniis illustrato effici possit. Et quod ad iuvenilem Pauli tum temporis aetatem attinet, facile patet, perperam Witsium *) statuere, Paulum eiusdem propemodum cum Christo aetatis fuisse, quia plures quam triginta annos natus vix iuvenis dici solitus est, et, quod gravissimum est in hac re, persecutio christianorum Hie-

*) in Praelectt. de vita et rebus gestis Pauli Ap. in Ei. Meletem. Leid. Lugd. Bat. 1703. p. 3.

rosolymitanorum, in qua Stephanus interiit, haud dubie aliquot demum annis post Christi mortem orta est. Quod quidem ante omnia demonstrandum est, quum nostra quoque aetate non defuerint, qui hanc persecutionem in eundem adeo annum incidisse existimarent, quo Christus obiit. Solent autem, qui caedem Stephani pluribus post Christi mortem annis factam esse censent, ad duo potissimum argumenta provocare, quorum alterum parum idoneum esse, et ipse concedo, alterum recte se habere atque nondum apta ratione impugnatum esse contendo. Parum scilicet valere potest, quod in narratione Lucae de caede Stephani nulla procuratoris romani mentio fiat, qui sententiam de Stephano latam suo suffragio confirmaverit, qua ex re coniecerunt, lapidationem Stephani illegitimam et tumultuariam fuisse atque ideo non prius facile committi potuisse, quam Pilatus, homo severior, procuratoris munere remotus fuisset a Vitellio, Syriae proconsule, quem Iudaeis multa favoris sui documenta dedisse, IOSEPHUS *) auctor sit. Etenim ut taceam, silentium alicuius scriptoris non mul-

*) Antiqq. 15, 11, 4. 18, 6, 10. 11. et cap. 7.

tum probare posse, bene jam observatum est a KREBSIO *), Iudaeis omnino ius suplicium capitale in rebus ad religionem spectantibus sumendi relictum fuisse, et recte monuit SÜSKINDIUS **), Vitellium non facile eo lenitatis progredi potuisse, ut Iudaeis permitteret, quod contra leges esset, quibus provincia romana regebatur, atque si Iudaeis illud ius negatum fuisset, quippe qui legibus provinciae romanae adscripti essent, caedem Stephani non ante fieri potuisse, quam sub initium imperii Claudii, h. e. anno demum XLI., quo Iudaea provincia romana esse desiit et Herodis Agrippae imperio subiecta est. Ceterum etiamsi lapidatio Stephani illegitima ac tumultuaria fuisset, tamen ipso Pilato procuratore fieri potuisset, qui minis Iudaeorum perterritus Iesum seditionis adeo accusatum Iudaeorum arbitrio commisit ***). Quare hoc satis infirmo et ambiguo argumento uti nolumus, eoque minus, quum aliud certius et luculentius habeamus. Prorsus enim improba-

*) In Observv. Flavian. ad Matth. 27, 2. et Ioh. 18, 31.

**) in BENGEL. Archiv f. d. Theol. Vol. I. p. 303 sqq. add. KUIN. Comment. ad Matth. 26, 68. et Ioh. 18, 30.

***) cf. Ioh. 18, 30. et 19, 6.

bile est, ea omnia, quae Lucas Act. 2, 43. — 6, 7. inter memorabile Pentecostes eventum et caedem Stephani accidisse narrat, intra unius anni nedum mensium paucorum spatium evenisse. Nam qui mente sobria nec praeiudicatis opinionibus occupata ad ea legenda accedit, quae Lucas de incrementis novi coetus, de Petro et Iohanne in custodiam traditis et causa coram synedrio perorata dimissis, de miraculis apostolorum, de adaucto christianorum numero, de apostolis iterum in carcerem coniectis, sed divino auxilio liberatis, de constitutis denique septem diaconis tradidit, non facile sibi persuadebit, haec omnia nulla fere mora interposita se excepisse. Ea coetus christiani conditio describitur, quae non tam brevi tempore effecta cogitari possit, eaque est narrationis Lucae indoles, quae maiore temporis intervallo singula accidisse declaret. Ex his apparet certe, nihil omnino obstare, quominus aliis forte rationibus efflagitantibus plurium annorum spatium statuamus, intra quod illa gesta esse putemus. Atque habemus profecto, quod plures annos inter mortem Christi et Stephani fuisse censeamus, quum Paulus ei interfuisse legatur. Iam vero pro certo atque explorato haberi

potest, Paulum non ante mortem Christi Hierosolyma venisse et a parentibus disciplinae pharisaicae traditum esse. Neque enim ullum in eius epistolis indicium est, Christum de facie ei cognitum fuisse, multa potius, quae contrariam sententiam probent. Non poterat vero non cognoscere et videre saltem Christum, si eo iam tempore Hierosolymis versabatur, in quod ultima salvatoris nostri fata incidunt, nec temperare sibi potuisset, quin saepius de Christo a se viso mentionem faceret, si hoc salva veritate ipsi licuisset. Nam qui epistolarum loci aliqua veri specie huc referri possint, agunt potius de revelationibus, quae ei obtigerant, v. c. 1 Cor. 9, 1. cl. 15, 3 sqq. Quod quum certum, id vero solum dubium sit, quanto temporis intervallo post mortem Christi Hierosolyma pervenerit, quumque per longius temporis spatium doctrinae iudaicae duce Gamaliele operam dedisse putandus sit, antequam tantos in ea profectus faceret, quantos eum fecisse constat *), necesse profecto est, plures annos inter mortem Christi et Stephani interiectos fuisse. Et quamquam quae hactenus secundum li-

*) cf. egregiam Thalemanni commentat. de eruditione Pauli Ap. iudaica, non graeca. Lips. 1769.

brorum sacrorum indicia disputata sunt, non eo valuerunt, ut ipse ille annus, quo Stephanus occidit, efficeretur, tamen vel eo satis multum lucrati esse videmur, quod caedem Stephani non tam brevi post Christum occisum tempore committi potuisse intelleximus.

Progredientes iam ad ipsam narrationem Lucae Act. 9, 1—19. de Paulo in itinere Damascum facto ad sacra christiana traducto, pariter quidem fatemur, nihil in ea contineri, quod quaestionem, quam agitamus, dirimat; nec tamen ab ea discedendum erit, quin accuratius de iis dicatur, quae aliquam certe in hac quaestione vim habere videantur, et a multis viris doctis maioris momenti habita sunt. Et primum quidem quaerendum est, quantum temporis inter lapidationem Stephani et iter Pauli in urbem Damascum intercesserit. Paulum vero non ita multo post caedem Stephani iter Damascenum suscepisse, habemus profecto, quod ex ipsius Lucae narratione aliisque causis probabilibus colligamus. Patet enim e loco Act. 8, 1—3. *),

*) quos vv. librarii cuiusdam culpa transpositos esse, e coniectura facili quidem, sed minus necessaria, statuit HEINRICHS. ad h. l.

statim post lapidationem illius viri tantam coetus Hierosolymitani vexationem exortam esse, ut apostolis exceptis omnes in alias regiones dispergerentur. Tantum vero abest, ut Lucas post longius demum temporis spatium Paulum huius persecutionis participem fuisse significet, ut eum ipso illo tempore coetum christianorum vexare coepisse narret, primum in ipsa urbe Hierosolymorum (Act. 8, 3.), tum etiam extra eam (Act. 9, 1.). Necato enim Stephano et christianorum persequendorum signo quasi dato, Iudaei audacius etiam et liberius eorum vexandorum libidini indulgebant, ideoque consentaneum est, Paulum quoque, hominem alacrioris ingenii animique fervidioris, non diu moratum esse, quin et ipse consilia christianis infesta iniret. Quare persuasissimum mihi habeo, narrationem Lucae de incrementis, quae res christiana per dispersos discipulos in Iudaea et Samaria ceperit (Act. 8, 4—17. 25—40.), non sic intelligendam esse, ac si Paulus tum demum, cum ista omnia evenissent, Damascum proficisci paraverit, sed interea temporis dum illa in Iudaea et Samaria agerentur. Interposuit autem haec Lucas, quoniam aptiore loco ea afferre non potuit; dispersorum enim men-

tione facta (8, 2.) consentaneum erat statim exponere de eorum fatis et rebus gestis; quo facto ad Pauli historiam revertitur. Quae praeterea vero in hac narratione ad constituendas rationes chronologicas facere videantur, paucissima et levissima sunt. Nam quod vv. 1. 2. pontifex maximus commoratur, a quo Paulus literas commendatitias sibi expetierit, nihil ad tempus itineris definiendum valet, quum non indicatum sit, quisnam tum summi sacerdotis munere fungeretur; quod profecto dolendum est, quum in his turbulentioribus reipublicae iudaicae temporibus, quibus munus illud ab alio ad alium translatum est, nomine pontificis indicato, annus itineris ex Iosepho cognosci posset *). Ex eo vero, quod Paulus itineris Damascum potissimum faciundi consilium cepit, hoc certe intelligitur, non exiguum fuisse numerum christianorum tum temporis Damasci versantium, ita ut Paulo spes largioris messis afferretur, id quod v. 19. aliquantum confirmat, in quo alii praeter Ananiam discipuli commemorantur. Videtur igitur aliquot saltem annorum spatium post obitum Christi statuendum esse,

*) v. Kuin. Comment. ad h. l.

intra quod cultores eius Damasci quoque augeri coeperint, nisi existimaveris, vexationem christianorum in urbe primaria, qua alii in alias regiones diffundebantur, effecisse, ut nonnulli Damascum confugerent. Num vero Paulus propterea etiam Damascum proficisci instituerit, quod illam Aretae, regi Arabiae, rem sacram Iudaeorum aut non curanti aut adiuvanti adeo, parere nosset, postea videbimus. Nunc quidem hoc solum addamus, non multum eo effici, quod Ananias v. 13. e multis de infesto Pauli animo audivisse legitur. Atque si statueris, quod rectissime fieri videtur, plures Hierosolymis profugos Damascum se contulisse, non opus est, ut existimes, Paulum per longius iam tempus Hierosolymis in christianos saeviisse, ante quam Damascum peteret; brevius enim temporis spatium sufficiebat, tum ut Paulus Hierosolymis animum suum infestum satis superque proderet, tum ut profugi plures Ananiam de huius viri consiliis et conatibus edocerent.

Quum vero non contigerit hactenus, certius aliquod anni, quo Paulus Christum secutus sit, indicium invenire, ad alios locos veniendum est, in quibus, quae Paulo

post conversionem acciderunt, narrata sunt, videndumque, num de alio quodam vitae Paulinae evento tam certo constet, ut retrorsum computando annus ille definiri possit. Et primum quidem offertur locus Act. 9, 23—25., ex quo cum loco 2 Cor. 11, 32. 33. comparato cognoscitur, Paulum insidias ab ethnarcha Aretae Damasci sibi structas amicis adiuvantibus effugisse. Sed ut certi quid ex hoc loco eliciatur, primum omnium necesse est in annum inquiratur, quo Aretas Damascum in potestatem suam redegerit, tum vero in tempus, quo eius ethnarcha cum Iudaeis contra Paulum conspiraverit, utrum paullo post conversionem, an aliquanto serius. Iam vero a Iosepho *) traditum quidem est de bello, quod Aretas cum Herode Antipa, genero, propter repudiatam filiam ultimis Tiberii annis gessit, non item de tempore, quo Aretas Damasco potitus est. Quare coniecturam modo fecerunt, qui Damascum ab Areta non prius captam esse statuerunt, quam Vitellius, Syriae proconsul, mortuo Tiberio provincia sua discessisset, h. e. anno fere XXXVII. vel

*) Antiqq. 18, 5, 1. 2. 3.

sequenti *). At quemadmodum haec coniectura minime tam certis rationibus nititur, ut non eadem probabilitatis specie eorum sententia defendi possit, qui iam sub initium belli Aretae cum Herode Damascum Romanis ereptam esse existimant **), ita minime necessarium esse videtur, statuere, Paulum eo potissimum ad iter in urbem Damascum commotum fuisse, quod eam Aretae, neque amplius Romanorum imperio subesse sciret. Maiorem scilicet christianorum persequendorum veniam ac potestatem in urbe Romanis non subiecta sperasse dicitur ***). Imo fama, satis multos novae disciplinae assedas Damasci versari, ad iter suscipiendum eum compulit, ut quod Hierosolymis, in urbe primaria provinciae romanae, impune facere licuerat, id Damasci quoque ageret. Fieri quidem potuit, ut Damascus iam tum

*) v. Guil. Iameson. Spicileg. Antiqq. Aegypti atque ei vicinarum gentium. Glasgov. 1720. 8. p. 152. cf. Wolf. Curr. philol. ad 2 Cor. 11, 32. Eichhorn. Introd. in libr. N. T. Vol. II. p. 48 sqq. et Schmidt. in Keil. et Tzschirn. Analect. Vol. III. fasc. I. p. 135 sqq.

**) cf. Süskind. in Bengel. Archiv Vol. I. fasc. II. p. 308 sqq.

***) v. Eichhorn. l. l. p. 51.

ab Areta teneretur, cum Paulus illuc tenderet, sed quum parum liqueat, quo tempore Aretas Damascum ceperit, abstinebimus potius periculo huius loci ex sola coniectura in usum nostrum convertendi. At vero de eo nulla dubitatio est, utrum paullo post conversionem, an aliquanto serius insidiae Iudaeorum atque ethnarchae Paulum Damasco fugere coegerint. Quod enim Lucas in Actis non obscure significat, longiore demum post conversionem spatio interiecto Paulum Damasco discessisse, id expressis verbis narrat ipse apostolus in ep. ad Gal. 1, 15—20., ubi se tribus post conversionem annis Damasco prima vice Hierosolyma profectum esse scribit. Atque quamquam Lucas brevius de rebus Pauli exposuit neque de itinere Pauli in Arabiam facto memoriae quid prodidit, sive quod ea res minoris momenti ei visa est, sive quod iter illud non multum temporis insumserat, sive quacunque de causa, tamen duplicem Pauli in urbe Damasco commorationem cogitasse videtur, primum v. 19. narrans, Paulum Damasci ἡμέρας τινάς cum cultoribus Christi una fuisse, deinde vero v. 23. referens, Iudaeos Damascenos insidias ei struxisse, nova hac temporis signifi-

catione addita: ὡς δὲ ἐπληροῦντο ἡμέραι ἱκαναί. Has ἡμέρας ἱκανὰς de triennio, quod Paulus commemoravit, accipiendas esse, prorsus dubitari non potest, quum, quae porro narrantur, iter Pauli in urbem Hierosolyma et discessus in Syriam et Ciliciam, apud utrumque egregie consentiant. Id solum a viris doctis quaeri solet, utrum tres anni illi a conversione Pauli, an ab eius reditu in urbem Damascum computandi sint. Qua de re quum infra uberius dicendum sit, hoc quidem loco sufficiat monuisse, parum referre, quamnam rationem ineas, siquidem iter Pauli in Arabiam brevius fuisse statuamus, in quam sententiam et silentium Lucae de illo itinere et hoc nos adducit, quod in ipsius Pauli epistolis nihil praeterea de rebus in Arabia ab eo gestis relatum legimus. Itaque in incerto quidem relinquendum esse videtur, num eo iam tempore, quo Paulus literis pontificis commendatus in viam se dabat, Damascus praesidio Aretae teneretur, quum iam aliquanto ante Pauli profectionem Damascus in Aretae potestatem venire, et Paulus iter illud nulla dominationis arabicae ratione habita instituere potuerit, praeterea vero nos fugiat, quamdiu Damascus ab Areta obsessa

fuerit; sed hoc certissimum est, Paulum tertio demum anno post, quam aut ad sacra christiana conversus aut ex Arabia Damascum reversus erat, propter insidias sibi structas relicta hac urbe Hierosolyma petiisse.

Quae porro Lucas narravit de adventu Pauli in urbem Hierosolyma eiusque post breviorem commorationem discessu in Ciliciam patriam (Act. 9, 26—30.), prorsus silentio nunc quidem transeunda sunt, quum nulla plane temporis significatione facta fieri non possit, ut iis ad quaestionem, quae nobis proposita est, utiliter utamur. Sed quae inter haec eumque locum interiecta sunt, quo Paulus a Barnaba Tarso Antiochiam arcessitus esse legitur (Act. 11, 25. 26.), demonstrant certe, Paulum per plures annos Tarsi atque in eius confinio versatum esse, antequam Antiochiam deduceretur, ibique per annum totum cum Barnaba populo docendo operam daret. Neque enim facile quisquam crediderit, intra unius anni spatium Petrum consilium itineris per Galilaeam et Samariam faciundi cepisse, in hoc itinere omnes fere coetus christianos adiisse atque hic ibi diutius commoratum esse, multos gentiles

ad sacra christiana adduxisse, ita, ut nuntius de hac re in Iudaeam afferretur, tum vero Hierosolyma reversum de felici operae suae eventu ad apostolos retulisse, postea nuntio de florenti coetus Antiocheni statu Hierosolyma allato Barnabam ab apostolis Antiochiam missum esse atque per tempus aliquod frugiferum in evangelio docendo studium posuisse, tandem vero ad Paulum ex Cilicia advocandum profectum et una cum eo Antiochiam reducem factum esse. Quibus rebus si quis triennium fere insumtum esse putaverit, profecto non nimis multum temporis statuerit. Sed haec nunc missa faciamus, ut ad alium locum historiae apostolicae accedere possimus, qui, quum certius temporis indicium contineat eamque rem in medium afferat, de qua alii etiam scriptores memoriae prodidere, si quis alius, idoneus est ad quaestionem nostram probabili ratione dirimendam.

Legitur ille Act. 11, 27—30. et continet narrationem Lucae de fame, quae ab Agabo propheta Antiochiae praedicta et Claudio Caesare regnante exorta legationi Pauli et Barnabae in urbem Hierosolyma ansam praebuit. Atqui Claudio imperante

in pluribus imperii romani partibus annonae caritatem fuisse, sat multi auctores veteres tradiderunt *). Sed cum hoc Actorum loco praecipue de fame, quae in Palaestina regnaverit, sermo sit, ii potius scriptores consulendi sunt, qui de Iudaeorum historia exposuerunt. Et Iosephus quidem auctor est **), Claudio regnante famem in Palaestinam invasisse, quae sub procuratoribus maxime Cuspio Fado et Tiberio Alexandro fastigium suum assecuta sit. Constat autem ***), procuratores post Herodis Agrippae I. mortem demum in Iudaeam missos esse. Herodes enim, qui a Caligula a. XXXVII. p. Chr. tetrarchia Philippi et nomine regio, a. XXXIX. vero Antipae quoque tetrarchia donatus erat, ab imperatore Claudio, quem a. XLI. in obtinendo imperio adiuverat, totum regnum iudaicum adeptus erat. Regnaverat autem septem annos, quatuor sub Caligula, tres

*) v. Dio Cass. 40. p. 949. ed. Reim. Aurel. Vict. Caes. cap. 4. Suet. Claud. cap. 19. Tac. Annal. 12, 43. Oros. 7, 6. cf. Eichhorn. l. l. p. 54.

**) Antiqq. 20, 2, 6. et 5, 2. Add. Euseb. Hist. Eccl. 2, 8. 11. 12.

***) Ioseph. Antiqq. 19, 9, 2. 20, 7, 1.

sub Claudio *), et cum a. XLIV. Caesareae mortuus esset, Iudaea propter iuventutem filii, Agrippae II., rursus in provinciam redacta est, quae per procuratores administrabatur, quorum quidem priores usque ad octavum annum Claudii i. e. a. XLVIII. magistratum gerebant **). Ex his intelligitur, famem illam certe iam a. XLV. in Iudaea grassari coepisse Fado procuratore, atque in hunc annum legationem Pauli et Barnabae incidisse maxime verisimile esse. Scilicet cum Agabus propheta famem hanc sive ante, sive post adventum Pauli et Barnabae in urbem Antiochiam praedixisset (Act. 11, 27.), non illico Antiocheni Hierosolymitanis subsidia misisse cogitandi sunt; expectandum enim erat, an recte Agabus vaticinatus esset, et stipis colligendae negotium moram aliquam faciebat. Quare subsidia famei tolerandae non ante a. XLV. missa esse statuo, Lucam secutus, qui famem Claudio imperatore ingruisse narrat ante, quam stipem collectam Paulo et Barnabae Hierosolyma perferendam traditam esse memorat. Neque vero post a. XLV.

*) v. Ioseph. Antiqq. 19, 8, 2.

**) v. Ioseph. Antiqq. 20, 5, 2.

demum Paulum cum Barnaba in viam se dedisse, idem Lucas perspicue significat, quippe qui, legatione Pauli et Barnabae commemorata, cap. 12. de iis exponere pergat, quae interea temporis Hierosolymis gesta essent, sc. de Iacobo, fratre Iohannis, ab Herode occiso, de Petro ab Herode in vincula coniecto, denique de morte Herodis in urbe Caesarea, atque tum demum Paulum cum Barnaba peracto negotio Hierosolymis Antiochiam rediisse narret (Act. 12, 25.). Minime enim cum HUGIO*) faciundum est, qui mortem Herodis aliquanto post, quam Paulus Hierosolyma venisset, accidisse putat. Atque ut omnes rationes chronologicas omittam, ipsa oratio Lucae talis est, quae contrariam potius sententiam suadeat. Scilicet coniunxit Lucas, quae necessario cohaerebant, et sic, ut debebat, narravit, temporis tantum notationem accuratiorem omittens; commemorato igitur vaticinio Agabi simul quidem addidit, Antiochenos fame ingruente stipem collectam Hierosolyma misisse, sed ne res gravissimas, quae interea temporis **) Hiero-

*) in Introd. in lib. N. T. Vol. II. p. 206.

**) κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν (Act. 12, 1.), circa haec

solymis accidissent, aut prorsus silentio praeteriret, aut temporis rationibus plane neglectis nimis sero afferret, hoc statim loco illarum narrationem interposuit, iisque relatis demum interruptam de Paulo et Barnaba narrationem continuavit. Ex quibus sequitur potius, Paulum post Herodis mortem demum Hierosolyma adiisse indeque Antiochiam rediisse, neque tamen haec eventa nimis longo intervallo a se distare potuisse, nisi Lucam omnino inepte et perturbate narrasse existimaveris. Sed ut in hunc errorem Hugius delaberetur, alius error effecit, ut fieri solet, quem miror in sagacissimum virum cadere potuisse. Censet nempe, Paulum in ep. ad Gal. 1, 18. de hoc (si Lucam sequimur) altero suo itinere Hierosolyma facto loqui, ideoque locum Gal. 2, 1 sqq. de tertio itinere Pauli Hierosolymitano, quod Act. cap. 15. narratur, accipiendum esse. Iam vero in eum locum quum inciderimus, qui quam maxime ad rem nostram facit, eoque minus negligen-

---

tempora; hoc non est, cum Paulus et Barnabas Hierosolymis praesentes essent, sed cum haec Antiochiae pararentur et gererentur. Nemo enim facile opinabitur, illa omnia, quae a Luca cap. 12. referuntur, Paulo Hierosolymis praesente evenisse.

dus est, quo maior cuivis scriptori ceteroquin fide digno in suis ipsius rebus enarrandis auctoritas tribui solet, facile lectores eius uberius tractandi veniam nobis dabunt.

Ac primum quidem quemque nobis consentientem habere videmur, Paulo in ep. ad Gal. de rebus suis exponenti primas partes concedendas, et ex hac potius ipsius relatione Lucae narrationem metiendam ac iudicandam esse, quam contra. Atqui non potest solum hic locus sic explicari, ut cum narratione Lucae in Actis mire consentiat, sed quae unice recta eius explicatio est, ea unice etiam chronologicis vitae Paulinae rationibus accommodata est. Dicemus autem sic de hoc loco, ut primum consilium, nexum et sensum eius illustremus, deinde vero cum oratione Lucae eum componamus. Et quonam consilio Paulus in ep. ad Gal. de itineribus suis Hierosolymitanis exposuerit, in promtu est. Defecerant enim Galatae per falsos doctores seducti ab institutione apostoli; quare Paulo curae cordique erat, ut Galatis de vero, quod ipse iis tradiderit, evangelio persuaderet. Quum vero hoc ipsum quaeri potuisset, num Paulus verum evangelium doceret, quumque dubium vi-

deri potuisset, an ipse recta evangelii cognitione imbutus et revera apostolus domini constitutus esset, praeclare rem suam sic instituit, ut primum omnino moneat, se evangelium, quod tradiderit, minime homini ulli, sed ipsi domino acceptum referre (1, 11 sq.), deinde sigillatim enarranda vita sua ante acta demonstret, se idoneum evangelii doctorem esse, qui ab ipsis summis apostolis comprobatus sit. Quamobrem ipsum infestum, quo olim in christianos fuerat, animum silentio non praetermittit, quo maiorem Galatis fidem faciat, se divinitus evangelii praeconem inter gentiles vocatum esse, tum vero (v. 17 sqq.) de rebus suis post conversionem accurate perscribit, quo doceat Galatas, tantum abesse, ut apostolorum demum institutione et disciplina usus sit, ut rectam suam evangelii cognitionem illis probaverit adeoque Petro aliquando oblocutus sit. Quemadmodum igitur gravissimum consilium, quo apostolus ductus de vita sua exposuit, et ratio sapientissima, quam iniit, fidem nobis facit, eum diligentissime et verissime *) de rebus suis perscripsisse, ita etiam diligentia et perspi-

*) ipse adeo deum veracitatis suae testem appellat v. 20.

cuitas orationis satis docet, eum accurate notare voluisse, quae huc maxime pertinerent. Neque enim solum ordinem temporis indicat adverbiis εὐθέως, πάλιν, ἔπειτα, sed annorum etiam et dierum adeo numerum addit. Quae autem Paulus pro consilii sui ratione temporis leges diligenter secutus affert, hoc ordine se excipiunt.

„Post conversionem non Hierosolyma ad apostolos me contuli, sed in Arabiam discessi, atque inde Damascum reversus sum. Tum (haud dubie post reditum in urbem Damascum) tribus annis interiectis (prima vice) Hierosolyma profectus sum Petri visendi (non ex eo discendi) causa, sed quindecim modo dies (qui vix sufficiebant uberiori institutioni) cum eo versatus sum, neque alium apostolum (a quo institui potuissem) praeter Iacobum minorem vidi. Tum (relictis Hierosolymis) in Syriam et Ciliciam peregrinatus sum, et quatuordecim annis post (quam prima vice Hierosolymis fueram *) iterum (secunda vice) cum Barnaba et Tito Hierosolyma profectus sum, ubi summis apostolis (Iacobo, Petro et Iohanni)

*) nam aliud eventum, ad quod ἔπειτα referatur, antea non memoratum est.

meam evangelii inter gentiles docendi rationem exposui, qui nihil novi me docuerunt, sed potius laeti apostolum gentilium a domino constitutum acceperunt. Quid quod Petrus (haud dubie iam antea) Antiochiae a me simulationis publice accusatus est.“

Quisque facile intelliget, quam diligentem temporis computandi rationem apostolus inierit, si vel sola eius verba spectaverit, quae omnino impediunt, ne cum iis interpretibus consentiamus, qui Paulum cap. 2. de tertio suo itinere Hierosolymitano locutum esse censuerunt. Quum enim in eo esset, ut de itineribus suis Hierosolymitanis ageret, et de primo itinere, ut par erat, narrare coepisset, sequebatur, ut de secundo exponeret, quod etiam satis perspicue adverbio ἔπειτα declarat. Et quoties quidem hoc adverbium legitur in hac narratione, toties ad eventum, quod ante commemoratum erat, referendum est, neque aliud quidquam significat, nisi unum post alterum evenisse. Nemo enim, qui recte et apte narrare velit, cum dicit ἔπειτα, *postea*, hoc ad eventum aliquod refert, quod aut non omnino, aut multo ante commemoravit, sed ad illud, quod proxime praecesserat.

Quare in aprico est, Paulum initio cap. 2. ἔπειτα scribentem non ad conversionem respicere potuisse, sed ad iter Asiaticum 1, 21. commemoratum, quod Hierosolymis relictis susceperat, cuiusque mentionem propterea solum fecerat, ut Galatae intelligerent, se intra hoc tempus (inter duo haec, de quibus dicit, itinera Hierosolymitana) ne potuisse quidem Hierosolymis apostolorum institutione uti. Sed ut nihilominus plurimi interpretum Paulum a conversione sua computasse censerent, effecit solus quatuordecim annorum numerus, de quo infra videbimus. Nunc enim porro docendum est, Paulum h. l. de secundo suo itinere cogitasse. Neque hoc patet solum ex adverbio πάλιν, quod in diligenti hac itinerum Hierosolymitanorum enumeratione non potest non *iterum, denuo, secunda vice* esse, qui proprius eius significatus est; sed sunt etiam internae rationes, quae hoc demonstrent, quarum plerasque Keilius *) antiquiores nonnullos interpretes secutus docte explicuit. Quae

*) in praestantissima Diss. de definiendo tempore itineris Pauli Hierosolymit. Gal. 2, 1. 2. commemorati. Lips. 1798. recusa in Ei. Opuscc. p. 160. Add. Eiusd. et Tzschirn. Analect. Vol. III. fasc. II. p. 72 sqq. et Potti et Ruperti Sylloge commentt. theologg. Vol. III. p. 68 sqq.

enim Paulus h. l. affert, ita comparata sunt, ut multa moneant de illo itinere, quod Luc. Act. 11, 27. memoravit, pauca vero reperiantur, quae ad iter Act. 15. narratum referri queant. Quod quidem, ut quisque maxime sobrius est, ita maxime perspicuum esse intelliget, modo ad haec attendat, quae paucis proponam.

1) Narrat Paulus, se cum Barnaba et Tito Hierosolyma profectum esse; cf. Act. 11, 30. cuius loci silentium de Tito levius est, quam quod apud Lucam breviter narrantem urgeri possit. 2) Dicit Paulus, se *κατ' ἀποκάλυψιν* Hierosolyma se contulisse; cf. Act. 11, 28. ubi de huius *ἀποκαλύψεως* ratione expositum est, cuius vero Act. 15. nullum vestigium est. 3) Exponit Paulus de pacto, quod apostoli secum et Barnaba fecerint, hoc sc., quod Paulus et Barnabas gentilibus docendis operam navarent, Iacobus, Petrus et Iohannes vero Iudaeorum curam gererent; cf. Act. 12, 25. 13, 1 sqq., qui locus docet, Paulum et Barnabam haud ita multo post iter ad docendos gentiles suscepisse. 4) Scribit Paulus, se ab apostolis monitum esse, ut pauperum memor esset; cf. Act. 11, 29. ex quo loco intelligitur, quam proclive et consentaneum fuerit, apostolos

in hac annonae caritate Paulum, qui modo subsidia pauperibus attulerat, excitasse, ut in posterum quoque pauperum recordaretur.' 5) Non intelligitur, cur Paulus, si iter Act. 15. relatum in mente habuisset, synodi Hierosolymitanae et decreti apostolici ne uno quidem verbo meminerit, quum consilio, quod in ep. ad Galatas conscribenda habebat, aptissimum fuisset, ut summorum apostolorum sententiam de circumcisione gentilibus non praescribenda in medium afferret; multo aliter profecto scripsisset Paulus, si de hoc tertio itinere et rebus in eo gestis cogitasset. 6) Denique nec hoc perspicitur, quomodo Petrus post illam synodum, ad quam Paulus ex plerorumque sententia h. l. se profectum esse scribat, Antiochiae tantae inconstantiae culpam sibi contrahere potuerit, quum in illa graviter eorum conatus reprehendisset, qui gentilibus iugum legis mosaicae imponere vellent (cf. Act. 15, 10.); certe in redarguendo Petro non omisisset Paulus, eum contrariae, quam nuper professus fuerit, sententiae monere.

Quae quum ita sint, parum valere possunt, quae Vogelius *) huic loci nostri in-

*) in Gableri Journal f. auserles. theol. Lit. Vol. I. fasc. II. p. 241 sqq. Add. Wineri Exc. II. in ep. ad Gal.

terpretationi opposuit, quorumque refutandorum negotio ut supersedere possimus, diligentia Süskindii *) effecit, qui Keilii sententiam et ipse tuitus est. Quin etiam ratio, quam supra quinto loco ad rem nostram defendendam attulimus, nonnullis gravior visa est **), quam ut epistolam ad Galatas post synodum demum Hierosolymitanam scribi potuisse putarent. At quamvis pro certo et explorato habeam, hanc epistolam post alteram demum commorationem Pauli inter Galatas ideoque satis longo post concilium apostolicum intervallo consignatam esse, tamen in hac sententia persto, Paulum cap. 2. minime de *itinere* ad illud concilium locutum esse. Scilicet si Paulus porro de itineribus, quae Hierosolyma fecerat, dicere voluisset, reliquum erat, ut tertium etiam iter commemoraret, quod Luc. Act. 15. narravit; at non fecit, sive iis, quae Antiochiae inter se et Petrum gesta esse scripserat, a consilio vitae suae cursum longius persequendi

*) in Bengel. Archiv l. l. p. 156 sqq. Add. Bertholdti Introd. Vol. V. p. 2706.

**) ut nuper demum Niemeyero in Diss. de tempore, quo ep. ad Gal. conscripta sit, accuratius definiendo. Gotting. 1827.

avocabatur, sive ea, quae hactenus attulerat, ad persuadendum Galatis sufficere putabat, sive ab initio nihil aliud sibi proposuerat, nisi ea narrare, quae ante id tempus gessisset, quo munus apostolicum Antiochiae rite susceperat; non continuavit igitur vitae suae delineationem ad hoc usque tempus, quo primo itinere apostolico confecto (Act. 13. 14.) tertia vice Hierosolyma profectus est, substitit in commemoratione itineris secundi Hierosolymitani, unumque illud addidit, quod maxime e re sua esse videbat, ipsum Petrum, summum apostolum, ob morum inconstantiam Antiochiae graviter a se reprehensum esse. Ceterum persuasissimum mihi est, Petrum intra illum annum, quo Paulus Tarso reversus cum Barnaba Antiochiae versabatur, insidiis Herodis eiectum Hierosolymis (Act. 12, 17.) Antiochiam venisse, Herode vero mortuo Hierosolyma rediisse, ita, ut a Paulo et Barnaba paullo post ab Antiochenis Hierosolyma missis ibi deprehendi potuerit (Gal. 2, 9.) una cum Iacobo minore, quum maior Herodis crudelitati succubuisset: Nam post synodum Hierosolymitanam Petrum Antiochiam venisse, id certe omnium maxime improbabile est. Sed non licet

nunc uberius haec persequi, quum ad ea progrediendum sit, quae propius rem nostram attingunt.

Haec enim si probabiliter disputata sunt, sua sponte patet, quomodo de lectione recepta διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν statuendum sit, quae, ni fallor, sola fere interpretes commovit, ut Paulum de tertio suo itinere dixisse putarent, quum, quae praeterea ad tertium hoc iter referri possint, v. c. Titi circumcidendi mentio et quorundam libertatis christianae speculatorum commemoratio, tantum in argumenti similitudine quadam cernantur. Igitur licet a nemine recte demonstratum sit, *quid* causae fuerit, cur Paulus in ep. ad Gal. aut primum suum iter Hierosolymitanum (Act. 9, 26.), aut secundum iter (Act. 11, 30.) silentio praetergressus sit, quisque tamen in vulgari lectione acquiescens sumsit, iter anno decimo quarto factum aliud esse non posse, nisi tertium (Act. 15.). Sed ne sic quidem res salva erat; ex hac enim computatione tertium iter in eum annum incidebat, in quem illud incidisse minime credibile erat. Quare ut huic difficultati subvenirent, aut a conversione Pauli hos quatuordecim annos computabant, id quod a

consilio et oratione Pauli alienum esse supra evicisse nobis videmur, aut maturius multo Paulum ad sacra christiana conversum esse statuebant, quam id factum esse aliae rationes demonstrant, aut omnino aerae Dionysianae veritati diffisi novam annorum computandorum rationem instituebant, quae novis etiam difficultatibus premebatur. Quo tandem cunque modo statuatur, concedendum est, lectionem διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν difficultates obiicere, quae haud scio, an nunquam feliciter superari possint. Cum autem haec lectio iis ipsis molesta sit, qui tertium iter Pauli intelligunt, tum maxime impedit, quominus Paulum de secundo suo itinere h. l. exposuisse existimare possimus. At vero necesse est, secundum iter intelligatur ob rationes ex ipsius loci indole repetitas. Ex quo sequitur, hanc lectionem nobis reiiciendam videri. Res enim ita comparata est, ut servata hac lectione rationes chronologicae cap. 1. diligentissime ab apostolo ductae prorsus turbentur, contra omnia rectissime se habeant, atque eo, quo debent, ordine procedant, si Grotii et Capelli auctoritatem secuti τεσσάρων legimus *). At-

*) Sic legendum censuerunt quoque Heinrichs.

que etiam cum discesseris ab internis rationibus huius loci, quae quatuordecim annorum numerum nullo modo ferunt, ne ipsa quidem haec correctio dura et improbabilis videbitur. Licet enim Codices non assentiant et in solo Chronico Alex. τεσσάρων legatur *), tamen facile intellectu est, quomodo mature iam error in hoc numero committi potuerit, quum librarii διὰ et δέκα similibus compendiis scriberent, consonantes similem sonum habentes ab utraque parte essent, scribenti locus 2 Cor. 12, 2. in animo esse posset, quem inter et nostrum omnino similitudo quaedam intercedit **), et commissus aliquando error vel attentiores lectores facile lateret. Praeterea Codicum auctoritas omnino parum valere videbitur, si intellectum fuerit, lectionem τεσσάρων eam esse, quae et temporum rationibus et huic etiam loco unice conveniat

Comment. in Act. App. Prolegg. p. 59. BERTHOLDT. Introd. Vol. V. p. 2711. EMMERLING. Comment. in ep. II. ad Cor. Prolegg. p. 23.

*) SEMLER. Paraphr. hui. ep. p. 74. et omnino KOPPE Comment. ed. TYCHSEN. ad h. l.

**) et ipse enim agit de visionibus (cf. Gal. 2, 2.) et legitur post commemorationem urbis Damasci (cf. Gal. 1, 17.). Facile igitur memoriae quidam error locum habere potuit.

idque efficiat, quod quam maxime volumus, ut Lucas cum Paulo egregie consentiat.

Quod quidem ut facilius cognoscatur, instituamus comparationem narrationis Pauli in ep. ad Gal. cum narratione Lucae in Actis, paucissimis verbis eam adumbraturi.

Paulus in ep. ad Gal. dicit:	*Lucas in Act. App. narrat:*
1, 13. 14., se olim acerrimum Christi adversarium fuisse.	8, 3., Paulum summo christianorum odio flagrasse.
1, 15. 16., se gratia divina apostolum constitutum esse.	9, 1 sqq., Paulum a domino apostolum vocatum esse.
1, 17., se non Hierosolyma profectum esse ad audiendos apostolos;	9, 19—22., Paulum per tempus aliquod Damasci mansisse et docuisse.
— sed in Arabiam discessisse,	— Lucas nihil de hoc itinere habet, neque vero repugnat. cf. supra p. 19.
— ac Damascum rediisse. (Cur diutius Damasci resederit, non difficile dictu est.)	9, 23—25., Paulum diutius Damasci versatum amicis auxiliantibus insidias Iudaeorum effugisse.
1, 18—20., se tribus annis post (reditum ex Arabia) Hierosolyma profectum per quindecim dies Petri consuetudine usum esse et Iacobum minorem vidisse.	9, 26—28., Paulum Damasco venientem a Barnaba ad apostolos adductum et cum iis versatum esse. (Plerique tum Hierosolyma reliquerant. cf. 8, 4. 11, 19.)
1, 21—24., se in regiones	9, 29. 30., Paulum, Helle-

Syriae et Ciliciae contendisse, sed coetibus christianis in Iudaea nondum de facie cognitum fuisse.

2, 1. 2., quatuor annos praeterlapsos esse, antequam secunda vice Hierosolyma venerit.

—— se divino monitu Hierosolyma profectum esse. (Ambigue dicit κατ' ἀποκάλυψιν, ita, ut haec ἀποκάλυψις alii etiam contigisse cogitari possit; cum vero ad apostolos de legis mosaicae auctoritate consulendos proficisceretur, non κατ' ἀποκάλυψιν ἀνέβη.)

—— se cum Barnaba et Tito Hierosolyma profectum esse.

nistis vim ei afferre conantibus, ab amicis Caesaream deductum et Tarsum missum esse.

9, 31 — 11, 26., interea temporis evangelium per Petrum aliosque extra Iudaeam etiam traditum et Antiochiae quoque multos asseclas nactum esse; quo nuntio accepto Barnabam Hierosolymis Antiochiam missum, indeque ad Paulum arcessendum Tarsum profectum esse, cum quo redux ex itinere per totum annum Antiochiae utiliter docuerit.

11, 27. 28., hoc tempore (sive dum Barnabas solus Antiochiae versabatur, sive dum Paulum arcessebat, sive post quam Barnabas cum Paulo redux factus erat) Agabum prophetam magnam annonae caritatem praedixisse, quae sub Claudio Caesare evenerit.

11, 29. 30., Antiochenos stipem collectam per Barnabam et Paulum misisse. (Titum non commemorari, offendet neminem; neque Act. 15, 2. eius mentio fit.)

— se (hac opportunitate facta) summis apostolis (Iacobo minori, Petro et Iohanni) de sua evangelii inter gentiles docendi ratione exposuisse (nam ut Damasci, ita etiam in Cilicia et Antiochiae docuerat. — Quae vv. 3 — 8. leguntur, non habent in Actis, ad quae referantur; sed quemadmodum controversia cum Petro Antiochiae agitata praeter alias causas Paulum commovisse videtur, ut praesens Hierosolymis apostolis institutionis suae rationem redderet, ita se circumcisioni Titi Hierosolymis restitisse hoc maxime loco narrat, ut Galatae ipsa summorum apostolorum auctoritate moveantur, qui hanc agendi rationem probaverint.)

12, 1 sqq., intra illud tempus (quo Barnabas cum Paulo Antiochiae versabatur, vel paullo ante etiam) ab Herode Agrippa I. Iacobum maiorem aliosque occisos esse, Petrum ope divina vinculis liberatum Hierosolymis excessisse, ipsum Herodem Caesareae exspirasse. (Petrus tum haud dubie Antiochiam venerat, cum Paulus a Barnaba Tarso adductus esset, et metu, quo tum tenebatur, actus consuetudini cum gentilibus se subduxerat, ex quo legati Iacobi minoris advenerant, opem Antiochenorum forte imploraturi in hac temporis calamitate; Herode autem mortuo Hierosolyma reversus erat, simul arcessitus forte ab his legatis; Paulus certe Petrum Hierosolymis deprehendebat.)

2, 9. 10., apostolorum principes officium evangelii gentilibus exponendi sibi iniunxisse ac pauperum curam (porro habendam) mandasse.

12, 25. 13, 1 sqq., negotio stipem afferendi peracto Barnabam et Paulum Antiochiam rediisse, et brevi post a coetu Antiocheno rite inauguratos iter apostolicum suscepisse.

His ita comparatis et explicitis superest, ut, quae sigillatim hactenus exposita et probabilibus argumentis demonstrata sunt, paucis iterum comprehendamus, et in usum chronologiae Paulinae conferamus. Explicaturis vero, quae ex his sequantur, ordinem invertere atque ab iis ordiri placet, quae postremo loco proposita sunt; ab eo enim vitae Paulinae evento, de quo certius constet, quam de aliis prioribus, rationes chronologicas retro computandas esse ad annum conversionis usque, supra iam dictum est. Itaque liceat, ut dicunt, ex concessis disputare atque secundum iter Pauli Hierosolymitanum pro illo evento habere, cuius tempus ab ipso apostolo tam diligenter notatum sit, ut probabilis computandi ratio efficiatur. Iam vero quum Paulus ipse auctor sit, se iter secundum quatuor annis post primum fecisse, primum autem tribus annis post reditum ex Arabia suscepisse, quumque hoc iter in Arabiam, quod brevius modo fuisse videtur, statim post conversionem institutum fuerit, apparet, Paulum octavo certe anno ante secundum iter suum Hierosolymitanum ad sacra christiana conversum esse. Atqui supra (p. 24.) Lucae et Iosephi testimonia secuti ostendimus, hoc secundum iter stipis afferendae causa susceptum non prius fieri potuisse, quam Herode Agrippa mortuo Cuspius Fadus provinciam Iudaeam administraret, h. e. anno

Chr. XLV., Claudii a. IV. *), neque vero serius factum esse videri, quum Antiocheni de fame ventura praemoniti essent et Lucas nuntium de morte Herodis cum narratione itineris Paulini contexuerit. Ergo Paulus octavo fere anno ante, h. e. anno Christi XXXVII., Caligulae a. I. **), ad sacra christiana adductus est. Ut ante annum XXXVII. conversus esse credatur, nequaquam fieri poterit ob rationes supra (p. 11.) allatas, quibus evicisse mihi videor, plurium annorum spatium inter mortem Christi et caedem Stephani statuendum esse; imo si quis a. XXXVIII. demum Paulum ad sacra christiana accessisse existimaverit, id quidem facilius concesserim, quum certe non prorsus a vero abhorreat, Paulum primi itineris Hierosolymitani terminum a conversione inde computasse, nulla reditus sui ex Arabia in urbem Damascum ratione habita. Sicut denique ipsum hoc primum eius iter, quod ex nostra sententia a. Chr. XLI. factum est, in ea tempora incidisse intelligitur, quibus Damascum in Aretae potestate fuisse credibile est, ita haud scio, an nihil praeterea apud scriptores historiae iudaicae et romanae reperiatur, quod interpretationem nostram improbabilem vel etiam falsam esse certo arguat.

*) Successit sc. Caligulae Claudius mense Ian. anni XLI. p. Chr. n.

**) Successit enim Tiberio mense Mart. anni XXXVII.

His ita comparatis et explicitis superest, ut, quae sigillatim hactenus exposita et probabilibus argumentis demonstrata sunt, paucis iterum comprehendamus, et in usum chronologiae Paulinae conferamus. Explicaturis vero, quae ex his sequantur, ordinem invertere atque ab iis ordiri placet, quae postremo loco proposita sunt; ab eo enim vitae Paulinae evento, de quo certius constet, quam de aliis prioribus, rationes chronologicas retro computandas esse ad annum conversionis usque, supra iam dictum est. Itaque liceat, ut dicunt, ex concessis disputare atque secundum iter Pauli Hierosolymitanum pro illo evento habere, cuius tempus ab ipso apostolo tam diligenter notatum sit, ut probabilis computandi ratio efficiatur. Iam vero quum Paulus ipse auctor sit, se iter secundum quatuor annis post primum fecisse, primum autem tribus annis post reditum ex Arabia suscepisse, quumque hoc iter in Arabiam, quod brevius modo fuisse videtur, statim post conversionem institutum fuerit, apparet, Paulum octavo certe anno ante secundum iter suum Hierosolymitanum ad sacra christiana conversum esse. Atqui supra (p. 24.) Lucae et Iosephi testimonia secuti ostendimus, hoc secundum iter stipis afferendae causa susceptum non prius fieri potuisse, quam Herode Agrippa mortuo Cuspius Fadus provinciam Iudaeam administraret, h. e. anno

Chr. XLV., Claudii a. IV.*), neque vero serius factum esse videri, quum Antiocheni de fame ventura praemoniti essent et Lucas nuntium de morte Herodis cum narratione itineris Paulini contexuerit. Ergo Paulus octavo fere anno ante, h. e. anno Christi XXXVII., Caligulae a. I. **), ad sacra christiana adductus est. Ut ante annum XXXVII. conversus esse credatur, nequaquam fieri poterit ob rationes supra (p. 11.) allatas, quibus evicisse mihi videor, plurium annorum spatium inter mortem Christi et caedem Stephani statuendum esse; imo si quis a. XXXVIII. demum Paulum ad sacra christiana accessisse existimaverit, id quidem facilius concesserim, quum certe non prorsus a vero abhorreat, Paulum primi itineris Hierosolymitani terminum a conversione inde computasse, nulla reditus sui ex Arabia in urbem Damascum ratione habita. Sicut denique ipsum hoc primum eius iter, quod ex nostra sententia a. Chr. XLI. factum est, in ea tempora incidisse intelligitur, quibus Damascum in Aretae potestate fuisse credibile est, ita haud scio, an nihil praeterea apud scriptores historiae iudaicae et romanae reperiatur, quod interpretationem nostram improbabilem vel etiam falsam esse certo arguat.

---

*) Successit sc. Caligulae Claudius mense Ian. anni XLI. p. Chr. n.

**) Successit enim Tiberio mense Mart. anni XXXVII.

Atque ne ulla ex parte lectores nostros dubios relinqueremus, quaenam nostra de his rebus sententia fuerit, tabulam chronologicam adscribendam curavimus, quae eventa vitae Pauli ab eius inde conversione ad secundum usque iter Hierosolymitanum complecteretur, additis iis, quae praeterea huc pertinerent, ita tamen, ut annorum tantum numerum computaremus.

A. Chr.	*A. Imp. rom.*	
	Caligulae.	
XXXVII.	I.	caedes Stephani; conversio Pauli; brevior eius commoratio in urbe Damasco; eiusdem iter in Arabiam.
XXXVIII.	II.	reditus Pauli ex Arabia; longior eius commoratio in urbe Damasco, per triennium quidem.
	Claudii.	
XLI.	I.	fuga Pauli ex urbe Damasco; primum eius iter Hierosolyma factum; iter eius in Syriam et Ciliciam; longior eiusdem commoratio in urbe Tarso, per biennium fere.
XLIII.	III.	vaticinium Agabi; profectio Barnabae in urbem Antiochiam, atque hinc in Ciliciam ad Paulum arcessendum; adventus Pauli comite Barnaba.
XLIV.	IV.	commoratio utriusque Antiochiae per totum annum; caedes Iacobi; Petri fuga et adventus in urbem Antiochiam; mors Herodis; fames in Iudaea exorta; legatorum Iacobi adventus.
XLV.	V.	fames sub Cuspio Fado ingravescens; secundum iter Pauli Hierosolymitanum; tentata Titi circumcisio; reditus Pauli in urbem Antiochiam; primum iter apostolicum ab eo susceptum.



